

PERMUTATIO BENEFICIORUM.

1. *Permutatio Beneficiorum est ultro citroque Beneficii unius ad aliud mutua præstatio interveniente, ut supponitur, legitimi Superioris autoritate. Fuit inventa permutatio, ut quoddam quasi commercium exerceri possit circa Beneficia absque omni simonia, contra antiquas Ecclesiæ leges, quæ d' strictè prohibebant Clericis, ne ecclesias, ad quas erant, ordinati, sive per translationem sive per permutationem unquam dimitterent. Omnino visum est, inquit Patres primi Concilii generalis Nicæni can. 15. ut consuetudo, quæ præter Canones in non nullis partibus invenitur, tollatur; ut a civitate in civitatem nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus transeat. Concilium Sardicense habitum anno 347. terminis adhuc vehementioribus cujuscumque generis translationes reprobat, idque in odium Arianorum, qui ad augendum numerum suorum sectariorum ejusmodi commutationes plurimum affectabant.*

2. Remisit subin rigor iste, & permissæ fuerunt translationes Episcoporum, si id exigeret bonum Ecclesiæ; quod tamen in Gallia rarissime factum, & non nisi ex causis gravissimis, ut testatur Yvo Carnotensis Ep. 144.

3. Permutationes antiquitus non fuerunt toleratæ nisi hæc conditione, ut causæ ac motiva permutandi fuerint cognitæ ac ut legitimæ approbatæ a Synodo provinciali. Allquanto post penes solos Episcopos diocesanos fuit harum causarum judicium. Tandem inde ab uno sæculo, & quod excurrit, etiam Prælati Episcopis inferiores, collatores Beneficiorum, contra jus commune permutationes admittunt.

4. Vicarius Generalis non potest absque speciali commissione vel potestate sibi facta Beneficia conferre, vel permutationes admittere: collatio enim constituit partem fructuum, qui ad Vicarios Generales non pertinent; cum eorum tantum sit circa spiritualia Beneficiorum cognoscere.

5. Permutatio semper pro objecto habere debet bonum & utilitatem Ecclesiæ, non vero interesse vel commodum permutantium.

6. Fieri potest permutatio absque consensu Patroni ecclesiastici, sed non absque consensu Patroni laici; & si cum permutatione etiam reservatio pensionis concurrat, requiritur etiam autoritas Papæ.

7. Cum permutatio ad sola restringitur Beneficia, non potest Beneficium permutari cum jure Patronatus. Idem dicendum de Capellis, quæ Præstimoniam vocantur, licet in perpe-

perpetuum fundatis, quarum redditus tantum consistunt in simplici mercede honoraria pro præstitis annexis obligationibus, nec ab Episcopo in titulum Beneficii erectæ fuerint.

8. Quando permutatio ab Episcopo admittitur simul continet reservationem pensionis, debet ea approbari a Papa, penes quem solum est jus ejusmodi contractus a labe simoniæ purgandi.

9. Quando Beneficia habent duos collatores, quilibet provisionem concedit illi, qui est suæ collationis; aut vero unus collatorum cedit alteri potestatem conferendi utrumque. Collator, cui permutantes exhibent procurationem suam ad effectum permutationis comprobandæ, his præcise, & non aliis, tenetur Beneficia conferre.

10. Sola inæqualitas reddituum duorum Beneficiorum, quantacumque ea sit, horum permutationem nec nullam reddit, nec annullandam.

11. Si unus conpermutantium ob evictionem non possit adire Beneficium, quod cum suo permutavit, pleno jure redit in pristinum suum Beneficium. Idem jus subsistit etiam respectu resignatarii, dum recusat exequi conventionem bona fide initam, vel dum non manifestavit Beneficium permutatum esse oneratum pensione; vel denique si Beneficium est Patronatus laici, & Patronus negat suum consensum, sine quo nequit obtinere collationem.

12. Juxta rigorem Canonum, qui resignavit Beneficium suum in extremis, & denuo reconvalescit, non poterit redire in Beneficium absque nova provisione; id quod ubique non observatur; quia supponitur non alia intentione resignasse nisi recuperandi Beneficium suum emergente casu reconvalescentiæ.

13. Permutantibus provis in Curia conceduntur sex menses pro capienda possessione; aliis non nisi unicus permittitur. Et si contingat, ut unus conpermutantium moriatur ante aditam possessionem, Beneficium censetur vacare per mortem. Ante admissam in Curia permutationem quilibet permutantium potest revocare conventionem. Neque locum amplius habet permutatio, si ea needum perfecta alteruter permutantium moriatur.

14. Beneficiatus, contra quem a Magistratu vel judice fuit decreta comprehensio corporalis, potest quidem resignare, non tamen permutare suum Beneficium.

CASUS I. Philippus & Jacobus Capellani sponte ac libere per simplicem actum coram Notario permutarunt Beneficia sua absque omni alia formalitate, nec ullam sibi pensionem reservarunt. Estne legitima hæc permutatio?

ꝛ. Permutatio hæc, utpote facta sola ac privata ipsorum autoritate juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5. nec est canonica, nec valida, sed simoniaca, simonia juris positivi ecclesiastici. Peccarunt ambo contra canones permutationem sic fieri prohibentis. *Universis personis tui episcopatus sub distractione prohibeas*, scribebat Papa Alexander III. ad Episcopum Tornacensem Cap. *Admonet.* 4. Lib. 1. Tit. 9. *ne ecclesias tuæ diocesis ad ordinationem tuam pertinentes absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto. Quod si quis contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, in eum canonicam exerceas ultionem.* Pontas.

CASUS II. Petrus & Paulus permutant Beneficia sua curata in manibus Episcopi sui diocesani: sed Petrus hac tantum conditione consentit, daturum se Beneficium suum Paulo: ut etiam reciproce accipiat Beneficium Pauli. Estne valida hæc permutatio, non obstante, quod pactum intercesserit?

ꝛ. Si Episcopus est collator utriusque hujus parochiæ, simulque hæc permutatio ipsi videtur cessura in utilitatem Ecclesiæ, & majus bonum fidelium, potest eandem absque omni difficultate admittere: dum enim pactum inter duos conpermutantes initum non fit nisi ex beneplacito Episcopi, non potest permutatlonem reddere vitiosam; quia in hoc casu permutatio non fit præcisè vi pacti, sed vi auctoritatis episcopalis. Ita docent S. Antoninus 3. part. Summ. Theol. Tit. 15. c. 2. & S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8. Pontas.

CASUS III. Rupertus titulus ad quamdam capellam & Leander titularis ad aliam capellam permutarunt in manibus Abbatis, qui erat collator. Estne canonica hæc permutatio?

ꝛ. Spectato jure communi non habent quidem collatores Episcopis inferiores potestatem admittendi permutationes: ubi tamen viget communis consuetudo contraria, & ubi Prælati collatores jurisdictionem quasi episcopalem exercentes hoc jus per legitimam præscriptionem acquisierunt, absque dubio legitima ac canonica censetur ejusmodi permutatio, supposito quo aliæ requisitæ formalitates observatæ fuerint. Pontas.

CASUS IV. Guillelmus parochus permutavit in manibus Episcopi diocesani parochiam suam cum capella simplici, quam possidebat Sylvester. Verum Episcopus, cui Sylvester incapax videbatur ad curam animarum, noluit admittere hanc permutationem. Possuntne duo hi conpermutantes relicto foro sui Ordinarii agere causam suam apud Metropolitanum?

ꝛ. Cum penes jurisdictionem pure voluntariam Ordinarii sit admittere permutationem aut repudiare, prout nempe magis vel minus vertere in utilitatem Ecclesiæ judicaverit & indignitas ac incapax Sylvestri fuerit motivum eam non admittendi, nullus recursum ad Metropolitanum potest esse locus. Si tamen Sylvester vere ac notorie esset habilis ad digne obeundas functiones parochiales, appellatio a repudiante Episcopo ad Metropolitanum admitti possiet. Pontas.

CASUS V. Macarius parochus permutavit parochiam suam cum simplici Prioratu Antonii. Permutatio fuit admissa & approbata in Curia: verum Antonius ante adeptam possessionem parochiæ moritur, & Macarius a nemine extra possessionem parochiæ positus eandem retinet, simulque in possessionem Prioratus sese immittit. Potestne frui duplici hoc emolumento per Antonii obitum sibi oblato?

ꝛ. Non potest Macarius retinere suam parochiam, utpote vere vacantem: non enim acquisivit Prioratum Antonii, nisi sub conditione, ut suam desereret parochiam; quæ conditio est essentialis factæ permutationi, & ab eadem inseparabilis. Pontas.

CASUS VI. Corentinus canonicus præbendam suam permutare cogitat cum Prioratu Pamphili, quem sibi utiliorem ac commodiorem existimat. Declarat Pamphilus, sibi valetudinis conservandæ causa animum non esse residendi in loco præbendæ. Potestne Corentinus hanc inire permutationem, relinquendo conscientiam Pamphili, an velit residere vel non?

ꝛ. Non potest Corentinus in hoc casu tuta conscientia permutare præbendam suam; quia cooperaretur ad peccatum Pamphili, qui obligatur ad residentiam, & abuteretur potestate Beneficariis concessa ad permutanda tunc solum Beneficia, dum id ad majus bonum Ecclesiæ vergere videtur. Quod si jam facta fuisset permutatio, tenetur Corentinus eam revocare, si adhuc tempus suppeteret id exequendi. Idem dicendum de resignante, collatore ac patrono: nam primus non potest in conscientia resignare, nec se-

vundus conferre Beneficium , nec tertius præsentare in favorem illius , qui statuit non residere in Beneficio residentiam exigente. *Pontas.*

CASUS VII. Crispinus obtinuit canonicatum per simoniam ; sed altero mox die facti poenitentia ductus eundem octiduo post Irenæo permutavit pro capellania simplici , simulque misit Romam pro obtinenda rehabilitatione ac absolutione a censuris , quas incurrerat. Estne valida hæc permutatio ?

ꝛ. Est penitus nulla : nam titulus Crispini est nullus ; cum canonicatum obtinuerit simoniace. Ad hæc omnis excommunicatus est inhabilis ad possidendum quodcumque Beneficium. Nec Roma in simili casu unquam concedit gratiam rehabilitationis , nisi postquam supplicans simoniacus pure ac simpliciter in manus Pontificis Beneficio per simoniam aequivo se abdicavit. *Pontas.*

CASUS VIII. Titius parochus ad S. Blasium , Mævius parochus ad S. Genesium , & Sempronius Prior ad S. Salvatorem sunt tres conpermutantes. Titio nullatenus aridet Prioratus S. Salvatoris , bene vero parochia S. Genesii , Mævio displicet parochia S. Blasii , placet vero Prioratus : Sempronius respuit parochiam S. Genesii , affectat autem illam S. Blasii. Inito inter se tractatu conveniunt , ut Titius habeat parochiam S. Genesii , Mævius Prioratum S. Salvatoris , Sempronius vero parochiam S. Blasii. Procurator expeditionarius in Curia desuper præsentavit tres diversas supplicationes ; primam nomine Titii petentis parochiam S. Genesii vacantem per abdicationem Mævii ; secundam nomine Mævii exoptantis Prioratum S. Salvatoris vacantem per abdicationem Sempronii ; & tertiam nomine Sempronii postulantis parochiam S. Blasii vacantem per cessionem Titii : ex quo satis apparet , quod Papa non habuerit sufficientem notitiam de conventionem inter conpermutantes inita. Quid censendum de hac permutatione ?

ꝛ. Cum omnis conventio in materia Beneficiorum a Pontifice non approbata sit illicita , ut Gregorius IX. declaravit Cap. *Pactiones* 8. Lib. 1. Tit. 35. certum est , hunc tractatum esse simoniacum simonia juris positivi ecclesiastici ; quia Pontifici non fuit expositus , & consequenter nec necessaria dispensatio fuit obtenta ; & hinc etiam ipsa hæc permutatio est nulla. *Pontas.*

CASUS IX. Cæsarius filio suo Beneficium comparare cogitat , quod actu possidet Zacharias amicus ejus ; hinc convenit cum eo , ut illud permutet cum capella , quam
cum

cum consensu Episcopi pro filio suo ocyus fundaturus est. Consentit Zacharias , fundatio perficitur , & filius adit possessionem capellæ animo eam postea permutandi cum Beneficio Zachariæ. Estne licita hæc conventio ?

ꝛ. Tantum abest ut sit licita , ut etiam contraria canonicis sit & simoniaca. Filius non potest accipere hanc capellam cum proposito faciendæ postmodum permutationis. *Pactiones factæ a vobis* , dicitur Cap. *Pactiones* 8. Lib. 1. Tit. 35. *pro quibusdam spiritualibus obtinendis , cum in hujusmodi omni pactio omnisque debeat conventio omnino cessare , nullius penitus sint momenti.* *Fromageau.*

CASUS X. Habentne Episcopi jus recipiendi & admittendi permutationes in suis Patronis ?

ꝛ. Beneficii permutatio nil aliud est , quam resignatio facta alteri causa permutationis , ea scilicet conditione , ut Beneficium permutatum certæ cuidam personæ conferatur , quam ob rem non potest Episcopus ejusmodi Beneficium pro suo arbitrio conferre , cuiusnam placuerit. Et cum hac limitatione possunt Episcopi permutationes recipere ac admittere ; & quidem in scio Patrono ecclesiastico , non vero sine consensu Patroni laici. *Fromageau.*

NOTA. In Germania permutationes Beneficiorum non admittuntur ab Episcopis sine consensu Patronorum etiam ecclesiasticorum.

CASUS XI. Titius permutationem parochiæ suæ meditatatur cum parochia Sempronii ; cum autem hac parochia minores proferat redditus ac illa , consultit Titius Sempronio , ut emat prædium , illudque suæ parochiæ adiciat , & sic redditus utriusque parochiæ ad æqualitatem adducantur. Emitur prædium , unitur tenuiori parochiæ , & fit permutatio , nulla tamen Episcopo facta mentione de hoc prædio. Estne canonica hæc permutatio ?

ꝛ. Ambo committunt simoniam , nisi intervenerit auctoritas Ecclesiæ , quæ sola spirituales ac ecclesiasticum potest reddere fundum , qui Beneficio adiicitur. *Fromageau.*

CASUS XII. Lucius Clericus , Canonicus & simul custos in ecclesia cathedrali , duo hæc Beneficia transferre cogitat in quemdam Abbatem , qui promittit , constitutum se ipsi æquivalentem pensionem in Abbazia sua. Potestne id fieri ?

ꝛ. Cum pensio consideretur ut res mere temporalis , absque manifesta simonia nunquam Beneficium potest permutari cum pensione. Dein omnis pactio in Beneficiorum negotio

tio est simoniaca juxta Cap. *Quæsitum*. 5. Lib. 3. Tit. 19. *Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.* Denique nullum Lucius habet jus nec ullum titulum canonicum percipiendi pensionem ex Abbacia, ad quam nunquam deservit. Translatio igitur aut permutatio hæc absolute fieri non potest, nisi Papa per dispensationem a vitio simoniæ eam purget. *Fromageau.*

CASUS XIII. Nicander Canonicatum in Collegiata, & Beneficium possidens in alia ecclesia, dimisso jam canonicatu, ex quo pensionem sibi reservavit centum florenorum, permutare cogitat alterum Beneficium cum Capella ejusdem ecclesiæ, in qua pensionem possidet. Indigetne dispensatione Pontificia, ita ut in supplicatione ad Papam necessario exprimendum sit, quod in eadem ecclesia jam pensionem possideat?

ꝑ. Non quidem stricto jure tenetur exprimere pensionem; quia pensio nec titulus est, nec Beneficium, sed solum in necessarium vitæ subsidium conceditur: tutius tamen erit tum in conscientia tum ad præcavendas lites, si dispensationem a Pontifice obtineat. *Verumtamen, inquit Cabassutius L. 2. c. 26. n. 3. ad cautius agendum, Et ad evitandos omnes litium anfractus consultius erit ad impetrationem apostolici pro Beneficio rescripti, non solum Beneficia, quæ quis possidet, sed etiam pensiones super Beneficiis recensere. Fromageau.*

CASUS XIV. Petrus habet Beneficium oneratum officio in choro, & exigens residentiam, & Paulus possidet parochiam. Ambo hi permutare volunt, si Episcopus annuerit, a quo utrumque dependet Beneficium. Sed proposita ac insinuata permutatione declarat Paulus, nolle se retinere Beneficium Petri, sed mox sibi aliud Beneficium simplex comparaturum. Potestne hanc permutationem tuto conscientia inire Petrus, cui probe constat de intentione Pauli?

ꝑ. Ecclesia averfatur omnem negotiationem circa Beneficia ecclesiastica, & expressissime vult, ut ministri ad Beneficia delecti serium habeant animum in iis deservendi. Cum ergo Petrus sciat, Paulo non esse animum Beneficium permutatum retinendi, sed mox eo dimisso commodius sibi procurandi, non potest salva conscientia permutationem cum eo inire. *De Lamet.*

CASUS XV. Joannes habet Prioratum simplicem non consistorialem; Petrus vero Canonicatum, cujus fructus

grossi viginti quinque aut triginta florenis constant. Joannes ex rationibus vere canonicis vult cum Petro permutationem inire, & ex Prioratu, qui Canonicatu multo pinguior est, sibi pensionem reservare. Potestne id fieri?

ꝑ. Potest sibi Joannes pensionem reservare ex Prioratu eam autem in Curia Romana constitui necesse est, & exprimi in supplicatione, quod ea petatur causa permutationis, ut quidquid in hac conventionem Joannem inter & Petrum de jure vitiosum est, a Pontifice sanari possit: potestque hæc pensio extendi ad dimidium usque redditum Prioratus; quia redditus Præbendæ canonicalis nimis tenues, Prioratus autem multo ampliores sunt. *Fromageau.*

CASUS XVI. 1. Potestne Petrus salva conscientia permutare Beneficium suum cum Beneficio Pauli eo solum animo, ut illud uniatur Seminario, cui peropportunum ac commodum accideret? 2. Potestne Paulus in conscientia accipere pensionem, ut ad æqualitatem cum suo reducatur Beneficium Petri? 3. Potestne Petrus tuto conscientia Paulo reddere trecentos circiter florenos, quos hic in necessarias Beneficii reparaciones expendit? 4. Potestne Petrus Paulo se obligare ad solvendam pensionem ab omnibus oneribus, ordinariis & extraordinariis liberam? 5. Potestne Petrus Paulum immunem servare ab omnibus impensis in expeditionem, insinuationem, capiendam possessionem &c. faciendis, si permutatio eveniat? 6. Estne necessario recurrendum ad Papam, ut Beneficium regulare uniri possit Seminario? 7. Potestne Paulus resignans Petro salva conscientia in se suscipere omnes sumptus pro provisionibus in Curia faciendos ad hoc, ut regulare Beneficium in Commendam perpetuam mutetur?

ꝑ. *Ad 1.* Per canones non licet acceptare Beneficium absque intentione illud retinendi; & hinc Petrus non potest absque peccato inire permutationem eo animo, ut Beneficium obtinendum uniat ac incorporet Seminario. *Ad 2.* Si Beneficium Pauli notabiliter redditibus superat Beneficium Petri, & insuper ad honestam sui sustentationem pensione indigeat, proportionem sibi reservare potest, in Curia tamen Romana constituendam. *Ad 3.* Simoniacum absque dubio foret, si Petrus cum Paulo conveniret de iis reddendis, quæ in necessarias Beneficii reparaciones fuerunt expensa. *Ad 4.* Non tenetur Petrus vi permutationis Paulo pensionem ab omnibus impositis imponendisque taxationibus liberam tradere; & hæc conventio, sicut omnis alia, quæcumque in permutationis contractu iniretur, nulla foret ac

simoniaci. *Ad 5.* idem respondendum est, *Ad 6.* Ad unionem Beneficii etiam regularis non opus est auctoritate Pontificia: hæc enim potestas concessa est Episcopis a Tridentino Sess. 23. de reform. c. 18. ubi indiscriminatim loquitur, & mandat, ut *Beneficia aliquot simplicia, cuiuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, etiamsi sint Beneficia affecta vel reservata, cum Seminaris vel erigendis vel dotandis uniantur.* *Ad 7.* Potest quidem Paulus omnes sumptus præstare circa provisiones Romanas faciendos, citra conventionem tamen: si enim interveniret conventio, sine qua Petrus non consentiret in permutationem, illa foret contra leges ecclesiasticas, & annullaret permutationem. Ex his omnibus eruitur, permutationem de qua agitur, in Curia Romana instituendam esse, ut, si quid in ea vitiosum, & a sacris canonibus alienum fuerit, Pontificis auctoritate corrigi aut sanari possit. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Collatio Beneficii. Collator. Patronus. Pensio ecclesiastica* cas. 1. *Provisio. Resignatio. Simonia.*

PERSECUTIO.

Vide *Residentia Episcoporum* cas. 1. *Residentia Parochorum* cas. 4.

PESTIS.

Vide *Absolutio* cas. 12. *Communio Sacramentalis* cas. 18.

PIGNUS.

1. *Pignus* in genere dicitur omnis res pro debito creditori obligata. In specie autem est contractus, quo res mobilis traditur creditori in affectionem debiti. Cum pignus sit quedam species depositi, creditor eo uti non potest sine consensu oppignorantis, teneturque debito persoluto illud restituere in eodem statu, quo fuit traditum.

2. Tribus modis peccari potest in contractu pignoratitio
1. dum pignori datur res fructificans, & commoda ac fructus percepti a creditore non computantur in partem sortis.
2. Si in pignus datur res, quæ oppignorari non potest, ut calix consecratus; excepto tamen casu urgentis necessitatis, scilicet si debitum urget.
3. Si interveniat stipulatio prohi-

prohibita & a legibus reprobata, v. g. si pignus accipiatur hac conditione, ut; si debitum constituto die non solvatur, pignus integrum maneat creditori, quin de debito quidquam remittere teneatur debitori; aut ut debitori pignus soluto debito reposcenti creditor non teneatur reddere.

3. Casu quarto agatur de pignore titulo antichresis accepto, diciturque, quid ejusmodi creditori permissum aut prohibitum sit.

CASUS I. Flaminus oppignoravit Framburgo equum in affectionem debiti 50. florenorum mutuo acceptorum; & Framburgus sæpius utitur equo sine consensu debitoris. Num licite?

R. Framburgus absque peccato injustitiæ non potest equo uti sine consensu Flaminii. Si pignore creditor utatur, inquit lex, furti tenetur. Si tamen eo utatur in utilitatem ipsius debitoris, ut scilicet equus quandoque exercitatus suam servet agilitatem, ejusdem consensus præsumitur. *Pontas.*

CASUS II. Desiderius pignoris loco dedit Genucio pro 250. florenis mutuis quatuor adamantes, quorum quilibet valet 250. florenis. Elapso trimestri Desiderius solvit 225. florenos, repetitque tres adamantes, eoquod eos vendendi opportunam nactus fuerit occasionem tam facile fors non redituram, addito promissio, se residuos 25. florenos intra octiduum soluturum. Teneturne Genucius tres adamantes restituere?

R. Quamvis reprehendi mereatur Genucii durities pro tantilla summa 250. florenorum exigentis pignus constans 1000. florenis; cum tamen contractus, de cujus conditionibus ultro citroque conventum est, absque injustitia in omni suo rigore possit executioni dari, & Desiderius pure ac simpliciter quatuor adamantes usque ad integram solutionem oppignoratos voluerit, Genucius secundum rigorem justitiæ non tenetur eos reddere ante expunctionem totius debiti. Qui pignori plures res accepit, inquit lex, non cogitur unam rem liberare nisi accepto universo quantum debetur. Verum ex lege charitatis tenetur Genucius necessitati Desiderii prospicere nulla habita ratione rigoris justitiæ; & hoc Genucio ob oculos ponendum est. *Pontas.*

CASUS III. Delphius oppignoravit Francisco pro 100. florenis mutuo datis horologium valoris triginta aureorum ea conditione, ut si primo die Julii non solverit debitum, pignus sit creditoris. Delphius, cum fixo die non posset, solvit post octiduum, & repetit pignus; Franciscus autem recepta pecunia recusat reddere horologium. An juste?

q. Cum hæc conventio repugnet juri naturali, Franciscus in conscientia tenetur reddere pignus; si tamen ex tam modica dilatione solutionis passus fuisset damnum, id teneretur compensare Delphus. Ejusmodi conventiones, quæ in Jure vocantur *legis commissoriae*, jus Canonicum æque ac Romanum reprobant, ut ex lege quadam Constantini Imperatoris, & ex Decretali Innocentii III. constat. *Pontas.*

CASUS IV. Leander pro summa mutua 5000. florenorum Dominico non solum oppignoravit domum tanquam hypothecam, sed etiam illum misit in possessionem domus titulo antichreseos usque ad integram solutionem debiti. Post quatuor menses domus fulmine tacta incendio perit. Cuiam ferendum damnum?

R. Pactum antichreseos est oppignoratio fundi, in cujus possessionem debitor mittit suam creditorem pignoris loco, hac conditione, ut creditor gaudeat fructibus, quoad adæquant censum legitimum præstandum a debitore, residui vero fructus excedentes censum a creditore restituendi sint debitori, qui semper manet dominus vel oppignoratae, & consequenter & fructuum ex ea provenientium ac meliorationum fortuitarum. In posito casu domus perit Leandro, & Dominicus habet jus repetendi summam sibi debitam ex cæteris Leandri bonis. Verum si Dominicus fuisset causa incendiarii, aliud dicendum foret. *Pontas.*

CASUS V. Joannes mutuo dedit quingentos aureos Titio, & matrimonio sibi jungit Sejam ejusdem filiam. Verum cum nec mutuo datam pecuniam, nec assignatam filiae dotem obtinere posset, pignoris loco a Titio recipit domum, redditusque ex ea & mutuo & doti correspondentes sibi attribuit. Num iuste?

R. Potest percipere redditus doti correspondentes; quia maritus non tenetur solus portare sumptus ad sustentationem uxoris, conservationem rei domesticæ, aliaque matrimonii onera necessarios. Verum pro pecunia mutuo data nihil potest recipere; quia juxta communiorum Theologorum ac Canonistarum doctrinam omnis contractus creditorem inter ac debitorem usurarius est, vi cujus creditor percipit fructus ex pignore a debitore accepto provenientes, usque dum integra solutio præstetur; nisi ex dilatione solutionis interveniat damnum emergens aut lucrum cessans. C. B.

CASUS VI. Titius agrum sterilem a Cajo debitore pignori datum excolit, & quosdam exinde fructus percipit. An iuste?

q. Titius non potest licite retinere hos fructus: licet enim eos considerare possit ut fructus laboris sui in excolendo agro impendi, certum tamen est, eos pertinere ad Cajum, qui fundum in pignus dedit; quia fructus ex fundo provenientes jure naturali pertinent ad legitimum dominum fundi. Hinc, nisi Titius sciat aut rationabiliter præsumere possit, Cajum hos fructus ultro ac libere cedere, deductis expensis vel debitori restituendi, vel in partem solutionis computandi sunt. C. B.

Vide *Hypotheca, Usura* cas. 23. 24. 25.

POENITENTIARIUS.

1. *Pœnitentiarius* hodie dicitur presbyter ille, quia in ecclesia cathedrali ab Episcopo constitutus absolvit a quibusdam peccatis, quos vel ipse Episcopus, vel ipsius antecessores sibi reservarunt; quo munere primi Episcopi olim ipsimetungebantur; postea autem venerandum hoc officium cuidam sacerdoti demandarunt, qui erat quasi Vicarius generalis, quem antiqua Concilia Chorepiscopum dicebant, ut loquitur Concilium Ancyranum: *Vicarii Episcoporum*, quos *Græci Chorepiscopos* dicunt.

2. Sacerdos iste solus tunc sustinebat onus, quod nunc in plures dispersitum cernimus: erat quippe simul Vicarius generalis, Officialis, Pœnitentiarius & Scholasticus; quia solus varia hæc officia exercebat, administrando scilicet fidelibus baptismum & alia Sacramenta, celebrando missas solemnes, concionando, confessiones excipiendo, reconciliando pœnitentes, componendo dissidia inter Clericos, & frequenter etiam inter Laicos: & hæc quidem munia maxime tunc exercebat, cum Episcopus esset absens, aut infirmitate vel aliis gravibus negotiis distentus. Sacerdotes isti plerumque succedebant Episcopis, a quibus ad sacrum hoc ministerium instituti fuerant.

3. Crescente in Ecclesia sacerdotum numero Episcopi functiones hæc in plures personas parti cœperunt, & in ecclesiis suis sacerdotes constituerunt, qui *Pœnitentarii* vocabantur, ad excipiendas confessiones eorum, qui enormia crimina perpetraverant, & ad reconciliandos cum Ecclesia eos, qui timore aut tormentorum acerbitate perterriti fidei renunciarunt; quæ tamen gratia ipsis non fiebat, nisi peracta prius pœnitentia sive publica sive secreta, juxta constitutos scilicet ab Episcopis canones.

4. Origo Pœnitentiarum in Ecclesia occidentali refertur ad annum 1215. sub Innocentio III. Tam Pœnitentiarum quam Scholastici officium fuit introductum a Papa ad sublevandos labores Episcoporum in audiendis confessionibus & prædicatione verbi divini; fuitque munus Pœnitentiarum confirmatum in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 7. de Sacram. Pœnit. Dicitur: *in Ecclesia occidentali*; quia in Ecclesia orientali non habetur Pœnitentarius, liberumque cuivis confiteri sacerdoti, cuiuscumque libuerit.

5. In responsione ad casum 1. dicitur, quænam sit jurisdictionis Pœnitentiarum, & num ea sit ordinaria vel solum delegata.

CASUS I. Nicofratus Pœnitentarius præbendatus in ecclesia quadam cathedrali, cum in litigio quodam staret pro causa Capituli contra Episcopum, ejusdem odium incurrit, & prohibetur ab eo absolvere a casibus reservatis. Nicofratus autem id prohibendi potestatem Episcopo haud competere ratus, omnes ad se accedentes & deinceps absolvit. Num valide ac licite?

R. Ad resolvendam hanc difficultatem prius sciendum est, an Pœnitentarius habeat vel non habeat jurisdictionem ordinariam, ipso jure officio suo annexam, ac independentem ab Episcopo. Si talem habeat, non potest eam ipse auferre Episcopus absque causa, & prævia causæ hujus judiciali cognitione per processum contra ipsum debitis formalitatibus instructum. Licet Fagnanus in Cap. *Grave*. 29. de præb. & dignit. n. 10. & 11. existimet saltem timide, quod Pœnitentarius jurisdictionem habeat ordinariam, cum pluribus tamen insignibus Canonistis dicendum, Pœnitentiarum etiam titularum non habere jurisdictionem ordinariam, sed delegatam tantum quoad casus Episcopo reservatos, & ita ab Episcopo dependentem, ut non possit valide absolvere absque ipsius licentia nedum a peccatis reservatis, sed nec a non reservatis. *Papa & Episcopus suos Pœnitentarios committunt*, inquit D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstionum. 5. ad 3. Nicofratus itaque nec valide nec licite post prohibitionem Episcopi pœnitentes absolvere potest a peccatis Episcopo reservatis. *Pontas.*

CASUS II. Si memoratus Nicofratus qua Pœnitentarius quoad casus reservatos non nisi delegatam potestatem habet, videtur consequi, quod aliis confessoribus facultatem absolvendi a reservatis subdelegare non possit, juxta commune effatum juris: *Delegatus delegare non potest*; quod tamen constanter & ubique fit. Poteritne hoc non obstantem

te

te tam licite quam valide subdelegare potestatem absolvendi a reservatis, saltem si Episcopus id expresse non prohibuerit?

R. Pœnitentarius iste & licite & valide potestatem suam absolvendi a reservatis communicare potest aliis, licet jurisdictionis ipsius tantum sit delegata. Citatum juris principium intelligendum solum est juxta Navarrum Manual. c. 27. n. 45 de delegatione totali ac generali; ita ut Pœnitentarius non possit aleri delegare potestatem Pœnitentiarum munus obeundi, quod ipsi incumbit; valeat autem huic vel illi sacerdoti committere aliquam ministerii sui partem pro exigentia circumstantiarum. *Pontas.*

CASUS III. Cyrus major Pœnitentarius & Canonicus cathedralis plerumque vacat confessionibus excipiendis eo tempore, quo a reliquis Canonicis Sacra peraguntur & Horæ canonicæ persolvuntur. Estne habendus ut præsens in ordine ad lucandas distributiones quotidianas?

R. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. cap. 8. expresse decidit, quod Pœnitentarius sit habendus ut præsens in choro, quando actu exercet suum ministerium. S. Congregatio Concilii interpres juxta Fagnanum in Cap. *Licet*. 32. de præbend. n. 170. insuper declaravit, eum reputandum esse ut præsentem tunc etiam, quando vocatur extra ecclesiam ad audiendas confessiones infirmorum, & quando Canonici intersunt depositioni ac exequiis defunctorum. *Pontas.*

CASUS IV. Fulbertus Pœnitentarius etiam defuncto suo Episcopo a casibus reservatis absolvit, ut alias. Suntne validæ ipsius absolutiones?

R. Verum est, quod, si de jurisdictione contentiosa sermo sit, potestas delegati *re adhuc integra* totaliter & absolute cæset per mortem delegantis; attamen in foro *gratioso* potestas hæc semper adhuc persistit, donec a Superiore delegante vel ab ejus successore revocata fuerit. Et inde est, quod Pœnitentiarum Papæ, etiam eo mortuo, continent ministerium suum juxta Clementin. *Ne Romani*. 2. Lib. 1. Tit. 3. & alii etiam confessorum ab Episcopo approbati pergant in exercitio sui ministerii post ipsius mortem, usque dum ab Episcopo successore facultas fuerit revocata. *Pontas.*

POE-